

ipsam naturam animæ sibi ipsi violentam esse; consequens absurdum est, E. & antecedens. Consequentia probatur, quia hæc est animæ natura, quod à materiâ independens sit; potest igitur per naturam suam absque materia existere. Quod si autem hæc existentia sine materiâ animæ est violenta, sequitur, ipsam naturam animæ sibi ipsi violentam esse, quod absurdum.

§. 23. Tertiò dicendum, quòd status separationis non sit præter animæ naturam. Si enim ex naturâ suâ non dependet à materiâ anima, sed sine eâ & ab eâ separata esse potest, separatio hæc præter naturam animæ esse nequit. Quâ ratione etiam Antonius Ruvio l. scæpies alleg. utitur. Relinquitur itaque, quod uterque animæ status & in corpore & extra corpus sit status cõnaturalis. Nam anima, quæ est forma corporis, naturaliter est in corpore, & tamen quia corpus illud est corruptibile, neque in perpetuum potest habere dispositiones congruas; ideò consequenter nec anima potest perpetuò ibi manere, & sic suppositâ animæ immortalitate, perpetuatur in esse suò extra corpus, qui est alter ejus status. Et hæc de istâ quæstione, ad aliam jam properandum erit.

§. 24. Alia hîc quæstio sat intricata atque abstrusa in Scholis Philosophorum agitari solet; an nempe *anima separata in statu separationis habeat appetitum ad corpus, vel ad unionem cum corpore, s. an appetat vicissim uniri cum corpore?* Quâ de quæstione controversia agitatur inter Thomam & Scotum & utriusq; complices. Thomas ait p. 1. q. 75. art. 1. ad sext. anima humana manet in suò esse, cum fuerit à corpore separata habens aptitudinem & inclinationem naturalem ad corporis unionem. Hanc sententiam amplectuntur quoque *Dd. Conimbr. de An. sep. disp. 2. art. 3.* Ruvio de ead. mat. q. 7. Et eòdem modò sentiunt *Abulens. in 22. cap. Matth. q. 222. Et Augustin. l. 12. super Genes. ad lit. cap. 35.* ubi disertè scribit: Anima separata in esse naturalem, quendam appetitum corporis administrandi. Negativam verò defendit *Scotus dist. 4. q. 2. a. 3. Ferrar. 2. contr. gent. cap. 6. Bannes 1. p. q. 26. art. 1. dub. 5.* & alii plures.

§. 25. Ut commodè respondeatur ad hanc quæstionem, sciendum est, quòd appetitus sit duplex; 1. appetitus innatus seu natura-

natura-